



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus de Conscientia, de Legibus, de Peccatis, de Virtutibus
Theologicis, de Religione, & Beneficiis. Adjunctis in hac editione
Propositionibus ad hanc usque proscriptis

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, 1734

VD18 90392140

Q. 6. An est semper peccatum non expellere cogitationes de rebus
venereis, sed in illis immorari?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40986

illius ex naturæ corruptione , præter intentionem , & seclulo periculo consensûs exsurgentem.

Quòd si esset periculum probabile consentiendi in delectationem veneream, (ut si pluries quis in tali occasione consenserit) tunc is, ex communi, tenetur ab illa actione, quantumvis honesta, & utili, v. g. audicione confessionum abstinere: nam non licet se probabili peccandi periculo exponere.

Q. 6. An est semper peccatum non expellere cogitationes de rebus venereis, sed in illis immorari?

Resp. Qui immoratur cum plena advertentia in cognitione de rebus venereis, si adsit delectatio venerea, quæ non reprimatur, vel periculum consensûs in illam, aut in rem cogitatum, peccat mortaliter ratione talis delectationis, vel periculi: venialiter verò, si advertentia sit solum imperfecta, ac semi-plena, qualis est in semi-dormiente. Qui autem de talibus rebus cogitat ex justa, & honesta causa, v. g. ut tales res melius discernat ad confessarii, vel medici munus rectè obeundum, non peccat seclulo periculo consensûs in rem cogitatum, & delectationem: quia talis cogitatio non est mala, neque in se, neque in effectu, aut ratione periculi. Erit autem

tem

rem venialis culpa, si hoc ex mera curiositate fiat, seclusis delectatione venerea, & periculo consensûs in rem cogitatam, & affectu in ipsam: quæ tamen omnia raro absunt in cogitante de his rebus absque fine honesto; nam hæc materia est valde lubrica, & periculosa.

Q. 7. Quanam sunt peccata Luxuria non consummata?

Resp. Sunt desideria, delectatio morosa venerea, aspectus, amplexus, & tactus impudici, oscula, verba obscœna, gestus turpes &c. sine effusione seminis. Jam censet ex dictis Cap. 6. desiderium simplex, etsi inefficax actûs luxuriosi habere malitiam mortalem ejusdem speciei: sic desiderium simplex copulæ cum conjugata, vel consanguinea habet malitiam adulterii, vel incestûs, nunc de cæteris agam.

Q. 8. An delectatio morosa venerea extra conjugium est mortalis?

Not. 1. Delectatio morosa est delectatio deliberata, sive delectatio post sufficientem advertentiam admissa, seu approbata, etsi unico instanti. Dicitur enim morosa, non à mora temporis, quo durat, cùm peccatum mortale unico instanti committi possit; sed voluntatis, quæ post advertentiam